

igitur noster, cum præsertim pie sancteque pro-
miserit, quod industriam huc usque in studiis
Theologicis præstitam fideliter diligenterque
continuare, gloriam DEI ubique promovere,
& ne latum quidem ungvem ab orthodoxa
veritate, Libris nostrarum Ecclesiarum Symbo-
licis, & fidei analogia recedere velit, deside-
rio ejus satisfacere constituit. Eum igitur in
finem, cras DEO clementer adjuvante in Au-
ditorio Majori inauguralem dicet Orationem,
eaque finita, cætera etiam specimina, legen-
do, concionando, & disputando expediet.
Orationem autem, ut Magnif. Acad. Pro-
Rector, Patresque Academiæ conscripti, nec
non Celeberrimi omnium Facultatum Docto-
res & Licentiati, admodum Rev. Ecclesiæ Mi-
nistri, ut & Præcell. Domini Adjuncti, cum
universa Nobilissimorum Studiosorum corona,
benevole & frequenter audire velint, Ordo
noster cum Candidato pl. Reverendo per me
modeste & diligenter rogat. Prop. Publ. in
Acad. VVitt. Dominica Misericordias Domini.
A. E. C. M DCC IX.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.